

sine medium, successit alius motus à medio; Temperavit autem se vna  
 pars caloris cum parte frigiditatis sibi æquali, & euenit ex isto tempera-  
 mento natura humiditatis, & quia natura eius fuit media inter naturam  
 caloris & frigiditatis, ideo quia locum medium sortita est inter vtrum-  
 que, & fuit motus ille à centro vsque ad medium: cui iterum successit a-  
 lius motus, sc. à Supremo ad Medium, & à medio ad medium interme-  
 dium & supremum, & iterum ab infimo ad medium, & à medio ad me-  
 dium inter medium & infimum. Temperavit enim se vna pars caloris  
 cum parte humiditatis sibi æquali, & venit ex isto temperamento natu-  
 ra caloris & humiditatis, cuius locus, vt prædiximus, medius erat inter  
 locum caloris & humiditatis. Et quia, vt prædiximus, natura humida-  
 tis est composita ex vna parte caloris, & vna humiditatis sibi æquali, se-  
 quitur, quod natura caloris & humiditatis erit vna pars frigiditatis, & tres  
 caloris. Eodem modo natura frigiditatis & humiditatis est aggregata ex  
 natura frigiditatis & ex natura humiditatis æqualiter. Et quia naturæ  
 humiditatis medietas est caloris, & medietas frigiditatis, sequitur, quod  
 natura frigiditatis & humiditatis tres partes sunt frigiditatis, & vna ca-  
 loris. Iam igitur habemus supra Sphæram naturæ primæ, quam prædixi-  
 mus, quatuor sphæras ordinatas, quarum prima erat Frigiditas & Hu-  
 miditas: Quam Sphæram Spiritus appellauerunt Sapientes: Supra istam  
 verò æqualitatem Naturæ, quam Sphæram ANIMÆ appellauerunt; Post-  
 modum verò Naturam caloris & humiditatis, etiam Sphæram sensus  
 appellauerunt; Et supremò Naturam caloris & siccitatis, quam Sphæram  
 nuncupauerunt. Et quia, vt prædixi, iam fuerant commixtæ istæ duæ Na-  
 turæ, primò ab inuicem, non fuit ex tunc motus à sursum ad deorsum,  
 nec è contra; Sed mouebantur omnes istæ Sphære motu circulari.

Iam autem diximus, quod cuiuslibet rei extraneum sibi contraria-  
 tur: Et quia motui à sursum ad deorsum non solùm opponitur motus à  
 deorsum ad sursum, sed etiam Quod est ideo, quia dicimus, quod vna  
 pars caloris, quæ se non commiscuerat cum Natura frigiditatis ad gene-  
 rationem humiditatis, remansit inferius admixta ipsi frigiditati. Et quia  
 non est dare vacuum in natura, ideoq; loco istius caloris, qui descendat  
 sub, vt quædam pars frigiditatis sibi æqualis. Patet igitur, quomodo istæ  
 Sphære erant ad inuicem connexæ. Infima enim erat Sphæra frigiditatis  
 & siccitatis, in qua nihil est caloris: Post ipsam verò sequitur Sphæra  
 frigiditatis & humiditatis, cui tres partes sunt frigiditatis, & vna caloris;  
 Postmodum verò Sphæra æqualitatis, quæ est Sphæra Animæ, cuius me-  
 dietas est de natura caloris, & medietas altera frigiditatis supra Sphæram